HYACINTHORUM
SIBIRICORUM A CELEB. LAXMANNO DETECTORUM ANALYSIS CHEMICA.

Auctore

TOBIA LOWITZ.

Conventui exhibit. die 3 Novemb. 1796.

§. 1.

Celeb. Laxmannus anno 1790 ad ostium Achtaragdae, rivuli Wilui flumini influentis, crystallos quasdam memoratu dignas, matrici argillaceae ex gryseo albidae insidentes ac parsim in ea dispersas, detexit.

§. 2. Crystalli hae, quarum varia magnitudo est, pulcherrima formae suae regularitate sese commendantes prismata exhibent breviora, quadrilatera, rectangula, marginibus obtusis praedita et utroque apice in pyramides truncatas abeunt.

§. 3. Crystallorum harum maxima, quam videre hodienum mihi licuit et quam Cel. Academicus Severginus possidet pondere duarum fere unciarum longitudine 18, et latitudine 8 linearum Parisiensium pollet.

§. 4. Prismatica figura quadrilatera etiamsi omnibus crystallis his communis est, multifarie tamen varia earumdem specimina longitudine et latitudine atque marginum